Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

pamphile episcope, indulge et parce nobis ueniam petentibus
ait. Respondit sanctus pamphilus dicens. Euangelica nos
sententia roborat que ait. Beati estis cum maledixerint
uobis homines et cum dixerint omne malum aduersum uos,
mentientes propter me. Gaudete in illa die et exultate,
ecce enim merces uestra copiosa est in celis. Sed utinam ego
dignus fuissem. qui ad martyrium peruenirem. sicut sancti martyres
qui passi sunt pro domino, et tradiderunt corpora sua pro christo.
Vos tamen uoluistis et non potuistis. Illi autem omnes cum cla
more dixerunt. Pater sancte ueniam petimus, indulge nobis
que fecimus. Respondit sanctus pamphilus. Christus pro salute
hominum in cruce moriturus. pro iudeis persequentibus
exorauit, nobisque ut pro inimicis exoremus exemplum re
liquit. In oratione enim dominica quam idem dominus noster ihesus christus
suos discipulos orare docuit. dicitur. Dimitte nobis
debita nostra. sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Si
autem hominibus dimittentibus dimittuntur peccata, pater
noster celestis dimittat uobis peccata labiorum uestrorum que locuti
estis. aduersum me et indulgeat uobis trinitas sancta pater
et filius et spiritus sanctus in secula seculorum. Amen. Et cum hec dixisset,
reuersi sunt omnes in habitacula sua gaudentes et admi
rantes super beati uiri doctrina. Sanctus autem pamphilus
more prudentis apis uirtutum fauos colligens
in episcopatu suo sedens bona senectute consenuit.
plebique sibi commisse miraculis et documentis doctor
excellentissimus effulsit, nichil omnino de ante
consuetis relinquens. sed in orationibus et ieiuniis. in
uigiliis et elemosinis. plura semper et meliora prioribus